

BASILICORUM
LIBRI LX.

POST

ANNIBALIS FABROTI CURAS

OPE CODD. MSS.

A

GUSTAVO ERNESTO HEIMBACHIO

ALISQUE COLLATORUM

INTEGRIORES CUM SCHOLIIS EDIDIT, EDITOS DENUO RECENSUIT,

DEPERDITOS RESTITUIT,

TRANSLATIONEM LATINAM ET ADNOTATIONEM CRITICAM

ADIECIT

D. CAROLUS GUILIELMUS ERNESTUS HEIMBACH

ANTECESSOR JENENSIS.

TOM. II.

LIB. XIII. — XXIII. CONTINENS.

LIPSIAE 1840.

SUMPTIBUS JOH. AMBROSII BARTH.

B A S I L I C O R U M
LIBRI LX.

TOM. II.

PRAEMONITUM.

Sex anni praeterlapsi sunt, ex quo primum huius Basilicorum editionis volumen prodiit. Causae voluminis secundi tanto temporis spatio interiecto nunc demum divulgati hae fuerunt. Ac primum quidem adversa corporis valetudo per duos annos impedimento fuit, quo minus opus coeptum continuarem. Deinde ante, quam ad volumen secundum edendum accederem, virorum doctorum iudicia de his, quae iam edita erant, expectare satius duxi, quam in reliquis edendis festinare, quo eorum, quae monuissent et desiderassent, in opere continuando rationem habere possem. Iudicium quidem de tribus prioribus voluminis primi fasciculis non minus benignum, quam optimis rationibus fundatum iam ante quam reliqua voluminis primi pars prodiret, tulerat Vir celeberrimus mihi quae amicissimus, WITTIUS: in quo pro viri, qui in hoc studiorum genere cedit nemini, auctoritate acquiescere potuissem. Sperabam tamen fore, ut praeter eum etiam alii harum rerum periti arbitri opus meum non indignum iudicio suo censerent. Neque haec spes me fefellit. Nam anno et sex mensibus post clarissimus DEURERUS in ephemeridibus literariis, quae Heidelbergae prodeunt, de volumine primo huius Basilicorum editionis sententiam suam proposuit, severiorem illam quidem, quam eam, quam WITTIUS fuerat professus, at tamen non iniquam nec iustis rationibus destitutam. In multis licet uterque vir doctus consentiat, in uno tamen dissentit. WITTIUS enim iniquum censet, ab editore Basilicorum postulari, ut locos Basilicorum in reliquis iuris Graeco-Romani fontibus dispersos colligat, et cum textu nobis servato conferat, variasque lectiones adnotet. DEURERUS autem sibi longe aliam esse mentem profitetur, et indici locorum ex Basilicis in reliquis iuris Graeco-Romani fontibus laudatorum et a me praetermissorum a se confecto adiecit, se tanti tamque taediosi laboris peracti praemium consecuturum esse tunc arbitrari, cum in sequentibus huius editionis voluminibus ratio eorum habita fuerit: quam sententiam editione Institutionum, quae cura celeberrimi SCHRADERI prodiit, ad exemplum mihi proposita firmare studuit. In quo utriusque viri dissensu cum diu nescius, quo me verterem, haesitassem, et, ne in immensum augetur materia editori superanda, metuerem, in DEURERI tandem inclinavi sententiam. Nam non minus ex Balsamonis commentario ad Photii Nomocanonem, ubi multi Basilicorum loci laudantur, quam ex scholiis Basilicorum, quorum DEURERUS rationem prorsus habuit nullam, multos Basilicorum locos emendari posse cognoveram. Minus quidem ad rem facere videbatur Promtuarium Harmenopuli, quem non ex ipsis Basilicis, sed ex Synopsi maiori hausisse locorum ab ipso ex Basilicis laudatorum cum Synopsi collatio nos edocet. Nec tamen ille erat contemnendus. Itaque recuperato pristino corporis vigore auctoritate et exemplo DEURERI motus reliquos iuris Graeco-Romani fontes typis exscriptos cum Basilicis contuli, ex iisque locos, qui vel verba ipsa Basilicorum exhibent, vel argumentum eorum

tradunt, in Hauboldi Manuali Basilicorum adnotavi. In quo taedioso labore, quo me post ea, quae DEURERUS monuerat, supersedere non posse arbitrabar, totum fere annum consumsi. Atque ita factum est, ut non prius, quam mense Iulio anni 1837 typis excudi volumen secundum huius Basilicorum editionis coeperit. In libris Basilicorum XIII—XXIII., qui eo continentur, his subsidiis uti mihi contigit. Libris XIII. et XIV. edendis inserviit Cod. Coislinianus 152. Textum quidem is Codex cum eo, quem FABROTUS ex Codice Paris. 1352. edidit, plerumque convenientem exhibet: scholia autem longe locupletiora suppeditat, ita ut scholia, quae Cod. Paris. 1352. continentur, maximam partem ex eo hausta esse et excerpta facile quisque sibi persuadere possit, qui editionem meam conferre voluerit, ubi, quid ex hoc, quid ex illo Codice haustum sit, diligenter adnotatum reperitur. Libros XV. XVI. XVII. et XVIII. FABROTUS e Codice Parisiensi modo laudato edidit. Mihi quoque in eo fuit acquiescendum, ut textum a FABROTO exhibitum cum Synopsi et aliis iuris Graeci fontibus compararem, et ex his emendarem. Lacunas, quae in tit. 1. et 9. lib. XVI. et in tit. 1. lib. XVII. reperiuntur, e Synopsi, scholiis Basilicorum recens editis et ex Harmenopulo, maximam autem partem e Tipuciti Paratitlis supplevi. Ex his primam et tertiam lacunam iam supplevit ANGELUS MATUS in libro, cui titulus est: *Veterum scriptorum nova collectio e Codd. Vatic. edita* T. VII. P. III. p. 25—28. Librum XVIII. cuius maxima pars inde a cap. 16. tit. 2. usque ad finem tit. 8. deperiit, et librum XIX. qui et ipse aetatem non tulit, FABROTUS e Synopsi cum Codd. mss. collata se restituisse T. II. p. 358. editionis suae profitetur. Praeter Synopsin autem FABROTUS etiam Harmenopuli Promptuarium et scholia Basilicorum in his libris restituendis adhibuit. Qua in re ita versatus est, ut ordinem titulorum in Synopsi propositum sequeretur et singula fragmenta numeris a se adiectis sub quoque titulo reponeret. Neque vero operae pretium duxit, fontes adnotare, ex quibus fragmenta horum librorum hauserat. Quam ob rem mihi ante omnia hoc fuit agendum, ut fontes, quibus FABROTUS in hisce libris restituendis usus est, investigarem. Quae res tam bene mihi cessit, ut omnium capitum a Fabroto restitutorum fontem invenerim. Nam et capitum 30. tit. 1. lib. XIX. Basil. quod respondet L. 32. D. XVIII. 1. et a FABROTO in Addendis T. II. p. 656. restitutum est, fontem in Syn. p. 471. tandem inveni. Secundum haec ergo notam t. pag. 261. T. II. huius Basil. editionis positam emenda. Ab ordine autem titulorum, quem FABROTUS in libro XVIII. et XIX. proposuit, et a titulorum inscriptionibus, quas exhibuit, recedendum mihi fuit. Nam quae in promptu habebam subsidia, FABROTO ignota, indicem titulorum totius Basilicorum operis Codici Coisliniano 151. praefixum dico et Tipuciti Paratitla, ordinem titulorum longe alium et inscriptiones titulorum diversas subministrabant. Quorum auctoritatem sequi non dubitavi. Inter omnes enim constat, alphabeticum titulorum ordinem, qui est in Codd. mss. Synopseos, ab editore Synopseos esse desertum, ab eoque seriem librorum, titulorum et capitum, quam in Basilicis fuisse existimasset, restitutam. Forma externa librorum a me restitutorum eadem est, quam REITZIUS in restituendis titulis *de verborum significatione et de diversis regulis iuris antiqui* exhibuit. Negare quidem nolo, disputari posse, meliusne fuerit, eam sequi restitutionis formam, quam exhibuit celeberrimus PARDESSUS in libro: *Collection de lois maritimes anterieures au XVIII. siècle* T. I. p. 183. sqq. Ibi enim fragmenta libri LIII. Basilicorum restituta sunt, ita tamen, ut a locis ad rem nauticam spectantibus in reliquis iuris Graeco-Romani fontibus obviis separata reperiantur. Persuadere mihi tamen non potui, eo restitutionis modo, quem REITZIUS observavit, retento minus feliciter rem cesuram, modo idem, quod ille, feceris, et fontes singulorum fragmentorum diligenter adnotaveris. Obiecerit quis, hoc modo fieri, ut Basilicorum fragmenta cum aliis, quae argumento quidem similia sunt, textum autem genuinum Basilicorum non exhibent, commisceantur, ideoque melius esse, exemplum a Cel. PARDESSUS propositum sequi. Ego vero, ut eiusmodi confusio fragmentorum evitaretur, alio modo efficere studui. Fragmenta enim Basilicorum a reliquis, quae eiusdem argumenti sunt, nec vero textum ipsum Basilicorum genuinum continent, ita distinxim, ut haec signo peculiari non notata reponerem, illis autem signum stellulae praefigerem. In collocandis sub quoque titulo fragmentis

ordinem in Tipuciti Paratitlis observatum retinui, quorum auctoritate fragmenta singula distinxi et numeros ipse adieci, locis iuris Iustiniani, qui conveniunt, in margine notatis. Quamvis enim apud Tipucitum omnia una serie et coniuncta legantur, usus tamen verborum *καὶ ὅτι* et *καὶ περὶ τοῦ* a Tipucito constanter tunc observatus, cum novum caput vel novum thema capituli cuiusdam inchoatur, effecit, ut facile, ubi incipiant, ubi finiantur singula capita et themata capituli, invenire potuerim. Quod autem ad fontes, ex quibus restituendi erant libri deperditi, attinet, ante omnia Synopseos, commentarii Theodori Balsamoni ad Photii Nomocanonem, et scholiorum, quae ad Basilica exhibentur, ratio erat habenda. In Synopsi enim genuinum Basilicorum exhiberi textum quaevis pagina editionis nostrae ostendit. Eadem de locis Basilicorum a Theodoro Balsamone praedicanda sunt. Etiam scholia Basilicorum saepissime genuinum textum locorum ex Basilicis laudatorum nobis servarunt. Quod tunc potissimum accipiendum est, cum caput Basilicorum in scholiis laudatur, additis verbis *ὁ φησιν*, ita ut omissa voce *ὅτι* statim ipsa verba Basilicorum sequantur. Etiam tunc, cum argumentum loci cuiusdam Basilicorum verbis *ὁ φησιν*, *ὅτι* κ. τ. λ. in scholiis traditur, saepe ipsa Basilicorum verba laudantur, quod quisque fateatur necesse est, qui eiusmodi locos ex libris Basilicorum, qui aetatem tulerunt, in scholiis laudatos cum textu Basilicorum a Fabro edito conferre voluerit. Ego vero in restituendis libris deperditis eam adhibui cautionem, ut solis prioris generis locis stellulae signum praefigerem. Inter reliqua restitutionis subsidia primum locum Paratitla Tipuciti obtinent, tam ob vim, quam habent in ordine titulorum definiendo et in fragmentis collocandis maximam, quam ob largam, quam praebent, fragmentorum copiam. Fragmenta, quae ibi reperiuntur, modo genuinum Basilicorum textum suppeditant, ut ex locis Synopseos convenientibus colligi potest, modo epitomen exhibent Basilicorum. Abstini tamen a signo stellulae locis e Tipucito haustis praefigendo. Nam ubi idem locus e Synopsi exhibetur, huic iam signum stellulae praefigendum et notandum erat, Tipuciti Paratitlis eadem contineri. In reliquis restitutionis subsidiis multum cautionis erat adhibendum. Ac primum quidem liber, qui Eustathio vulgo tribuitur, de diversis temporum praescriptionibus, versionem Graecam exhibet locorum iuris Iustiniani Basilicis antiquiorem, numeris ex Basilicis seriori tempore additis. Deinde Glossae Nomicae, quae in titulo *de verborum significatione* restituendo vim habent maximam, ad reliquos libros deperditos restituendos minimum conferunt. Tum Michaelis Attaliatae *Πολύμα νομικόν* locos quidem Basilicorum suppeditat, ipsos tamen a genuino Basilicorum textu saepius abhorrentes et cum locis ex aliis fontibus haustis commixtos. Harmenopuli denique Promptuarium ita demum pro idoneo restitutionis subsidio habendum est, si ex aliis fontibus, qui Basilicorum fragmenta genuina nobis servarunt, verbi causa e Synopsi, probari potuerit, Harmenopulum locum Basilicorum reddidisse. De reliquis iuris Graeco-Romani libris vix opus est ut plura verba faciam. Rationem eorum a me habitam fuisse notae libro XVIII. et XIX. subiectae demonstrant. Collectionem adeo constitutionum ecclesiasticarum in his libris restituendis eodem iure adhibere me posse credidi, quo libro Eustathii de diversis temporum praescriptionibus usus sum. Ope horum subsidiorum, in primis autem Paratitlorum Tipuciti effectum est, ut libros XVIII. et XIX. Basilicorum, etsi non ratione verborum, at tamen quantum ad argumentum singulorum capituli attinet, paucis locis exceptis fere integros habeamus. Similiter ope eorum libri XXXI—XXXVII. XLIII. et XLIV. Basilicorum, qui perierunt, longe integriores, quam a FABRO restituti sunt, restitui possunt. Minorem utilitatem praebent in libris LIII—LIX. Basilicorum restituendis, quod exinde explicandum videtur, quod auctor Paratitlorum eorum librorum, qui ad ius privatum spectant, epitomen exhibere magis operae pretium duxerit, quam illorum, qui ad ius publicum pertinent. Ita factum est, ut Paratitla libri LVIII., qui fere totus de iure privato agit, longe locupletiora sint, quam librorum LIII—LVII. et LIX. Huius autem pretiosissimi restitutionis subsidii Codices manuscripti servantur in Bibliotheca Vaticana numeris 853. et 1928—1929. signati. Codices numeris 1928—1929. signati in folio sunt apographum Cod. 853. a LEONE ALLATIO confectum et duobus voluminibus constans. Codex autem 853., quem frater quidem *Anecd. T. I.*

p. 220. paucis descripsit, pluribus autem describere ex schedis a fratre mecum communicatis operae pretium videtur, in quarto, bombycinus, quingentis foliis constat, una manu scriptus, et quantum ex scriptura colligi potest, seculo decimo quarto exaratus est. Singula folia fere quadraginta tres lineas continent. Magnus fuit in Codice usus siglarum, quae difficiles sunt ad explicandum, et ab Assemano plerumque male explicitae sunt. Notandum est, librarium Iota subscriptum fere semper omisisse. In marginibus latis foliorum saepe scriptum est $\alpha\nu^a$ i. e. $\alpha\nu\acute{\alpha}\gamma\nu\omega\theta\iota$, quo lectores ad locos gravissimos et notatu dignos magis attenderent. Carie effectum est, ut multae lacunae in textu appareant. Recentioris manus vestigia saepius in Codice deprehenduntur, quod ex eo explicandum est, quod LEO ALLATIUS, ut supra notavi, eum descripserit. Folia tria ultima hunc habent ordinem. Primum est folium 498. secundum 499. tertium 497. Folium 498. continet Paratitla titulorum 59. 60. 61. 62. libri LX. Basilicorum. Fol. 499. continet Paratitla ad titulos 63. 64. 65. et 66. et p. B. eiusdem folii finitur his verbis cap. 5. huius tit. sive L. 5. C. ad SC. Turpillianum IX. 45. $\kappa\alpha\iota \delta\tau\iota \gamma\omega\eta \kappa\iota\omega\upsilon\sigma\alpha \iota\delta\iota\omega\upsilon \sigma\upsilon\gamma\gamma\epsilon\upsilon\omega\upsilon\eta \eta \iota\delta\iota\omega\upsilon \alpha\iota\tau\iota\omega\upsilon \kappa\alpha\iota \alpha\pi\omicron\sigma\tau\iota\alpha\sigma\iota \chi\omega\rho\iota\varsigma \sigma\upsilon\gamma\chi\omega\rho\eta\sigma\iota\omega\varsigma \epsilon\pi\omicron$. Supple $\delta\pi\omicron\sigma\tau\iota\tau\epsilon\iota \tau\omega\tau\eta\varsigma \sigma\upsilon\kappa\omicron\phi\alpha\upsilon\tau\iota\alpha\varsigma \epsilon\gamma\kappa\lambda\eta\mu\alpha\tau\iota$. Desiderantur Paratitla cap. 6. tit. 66. et titulorum 67. 68. et 69. libri LX. Basilicorum. Videtur ergo folium excidisse, quo haec continebantur. Codici annexa sunt duo folia ex Codice manuscripto bombycino seculo decimo tertio exarato. Verba fol. 500. A. tam vetustate, quam carie valde oblitterata sunt: $\theta\acute{\alpha}\lambda\pi\tau\epsilon\upsilon\eta \eta \mu\eta. \kappa\alpha\iota \delta\tau\iota \tau\omega\upsilon\eta \pi\epsilon\tau\omicron\upsilon\sigma\theta\acute{\epsilon}\nu\tau\omega\upsilon \alpha\pi\omicron \dots$ (duae vel tres literae carie exciderunt) $\omicron\kappa\iota\omicron \omicron\upsilon\Delta\epsilon \dots$ — (usque ad marginem lineae desunt duae vel tres literae) $\omicron\iota\varsigma \beta\alpha\sigma\iota\lambda\iota\kappa\eta\varsigma \pi\omicron\sigma\tau\acute{\alpha}\xi\iota\omega\varsigma \epsilon\kappa\beta\acute{\alpha}\lambda\epsilon\upsilon\eta$ (sic) $\tau\eta\varsigma \nu\eta\sigma\omicron\upsilon \kappa\alpha\iota \acute{\alpha}\lambda\lambda\alpha\chi\omicron\upsilon \theta\acute{\alpha}\lambda\pi\tau\epsilon\upsilon\eta$. $\xi\zeta\epsilon\sigma\tau\iota \delta\acute{\epsilon} \tau\acute{\alpha} | \lambda\epsilon\iota\phi\alpha\upsilon\alpha \pi\omicron\delta\omicron\varsigma \tau\alpha\phi\eta\eta \alpha\iota\tau\epsilon\iota\eta \epsilon\kappa\acute{\alpha}\sigma\tau\omega$ (sic). $\zeta\eta\tau\epsilon\iota \pi\epsilon\tau\omicron\iota \tau\omicron\upsilon$ (i. e. $\tau\omicron\upsilon\tau\omega\upsilon$) $\beta\acute{\iota} \kappa\gamma. \tau\acute{\iota} \beta. \upsilon\lambda\omicron\upsilon: \sim | \chi\omega\eta \delta\acute{\epsilon} \epsilon\iota\delta\acute{\epsilon}\nu\alpha\iota, \upsilon\tau\iota \rho\acute{\xi}\eta \nu\epsilon\alpha\upsilon\alpha\iota \sigma\upsilon\upsilon\upsilon\tau\epsilon\acute{\epsilon}\theta\eta\sigma\alpha\upsilon \pi\alpha\tau\acute{\epsilon}\rho \tau\omicron\upsilon \iota\omicron\upsilon\sigma\tau\iota\alpha\upsilon\iota\omega\upsilon\theta\acute{\iota}$. $\xi\zeta \alpha\upsilon\tau\omega\upsilon\eta \rho\mu\alpha \epsilon\tau\acute{\epsilon}\theta\eta\sigma\alpha\upsilon \epsilon\iota\varsigma \tau\omicron\delta\omicron\varsigma | \pi\omicron\sigma\phi\acute{\omicron}\rho\omicron\upsilon\varsigma \tau\acute{\iota} \tau\omega\upsilon\eta \xi \beta\alpha\sigma\iota\lambda\iota\kappa\omega\upsilon\eta \beta\acute{\iota}$. $\alpha\iota \delta\acute{\epsilon} \lambda\omicron\iota\pi\alpha\iota \epsilon\pi\acute{\iota}\alpha \kappa\alpha\iota \epsilon\iota\kappa\omicron\varsigma \pi\alpha\omicron\epsilon\sigma\iota\omega\pi\eta\theta\eta\sigma\alpha\upsilon. \eta\eta\gamma\omicron\upsilon\eta \beta. \epsilon. \varsigma. \zeta. | \theta. \omega'. \mu. \mu\varsigma'. \nu. \nu\delta. \nu\epsilon. \nu\varsigma. \nu\eta'. \xi\eta'. \omicron\delta'. \omicron\epsilon. \omicron\varsigma'. \omicron\theta'. \pi\gamma'. \pi\delta'. \chi\mu. \rho\varsigma. | \rho\alpha\zeta'. \rho\alpha\theta'. \rho\lambda\zeta'. \rho\mu'. \kappa\alpha\iota \rho\mu\theta. | \textit{A}\iota \delta\acute{\epsilon} \kappa\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon\sigma\alpha\iota \nu\epsilon\alpha\upsilon\alpha\iota \tau\omicron\upsilon \kappa\upsilon\tau\iota\omicron\upsilon \textit{A}\epsilon\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma \tau\omicron\upsilon\theta\acute{\iota} \beta\alpha\sigma\iota\lambda\epsilon\omega\varsigma \epsilon\iota\delta\iota\eta\eta \alpha\upsilon\tau\iota\alpha. \eta \acute{\alpha}'. \delta\iota\alpha\lambda\alpha\mu\beta\acute{\alpha}\nu\epsilon\iota \kappa\alpha\tau\acute{\alpha} \tau\omicron\delta\omicron\varsigma | \acute{\alpha}\nu\alpha\kappa\alpha\theta\alpha\upsilon\alpha\theta\acute{\epsilon}\nu\tau\alpha\varsigma \nu\omicron\mu\omicron\upsilon\varsigma \tau\acute{\epsilon}\mu\upsilon\upsilon\epsilon\sigma\theta\alpha\iota \tau\acute{\alpha}\varsigma \delta\iota\kappa\alpha\varsigma \tau\omicron\upsilon\delta\acute{\iota} \acute{\alpha}\pi\epsilon\upsilon\alpha\upsilon\tau\iota\omicron\upsilon\eta \tau\omicron\upsilon\tau\omega\upsilon\eta \nu\omicron\mu\omicron\upsilon\varsigma \mu\eta \kappa\omicron\upsilon\tau\epsilon\iota\eta\eta: \sim | \eta \delta'. \tau\omicron\upsilon\theta \mu\eta \gamma\iota\upsilon\epsilon\sigma\theta\alpha\iota \alpha\upsilon\theta\iota\varsigma \lambda\alpha\iota\kappa\omicron\upsilon\eta \tau\omicron\upsilon\eta \kappa\lambda\eta\upsilon\kappa\iota\omicron\upsilon\eta, \kappa \mu\eta \kappa\zeta' \tau\omicron\upsilon\theta \beta\alpha\theta\mu\omicron\upsilon\theta \tau\eta\eta \tau\acute{\alpha}\xi\iota\omega\eta \delta\iota\kappa\alpha\iota\omicron\upsilon\eta \epsilon\sigma\tau\iota\eta \upsilon\lambda\eta | \pi\omicron\lambda\alpha\mu\beta\acute{\alpha}\nu\epsilon\iota\eta. \delta\iota\acute{\alpha} \tau\omicron\theta \alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\eta \acute{\epsilon}\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\eta \xi\zeta \omega\upsilon\eta \acute{\epsilon}\delta\omicron\upsilon\sigma\epsilon\iota\eta \acute{\alpha}\nu\acute{\alpha}\xi\iota\omicron\upsilon\eta \tau\eta\varsigma \tau\omicron\iota\alpha\upsilon\tau\eta\varsigma \tau\acute{\alpha}\xi\iota\omega\varsigma \kappa\alpha\tau\alpha\sigma\eta\eta\sigma\alpha\iota: \sim \eta \epsilon \pi\epsilon\tau\omicron\iota \delta\acute{\omicron}\lambda\omicron\upsilon\eta \gamma\epsilon\gamma\omicron\upsilon\tau\omicron\varsigma \kappa. \tau. \lambda. \textit{et sic} \textit{reliquae Leonis Novellae, quae in usu fuerunt, usque ad fol. 501. A. enumerantur, cuius ultimae lineae haec continent: \eta \nu\varsigma. \pi\epsilon\tau\omicron\iota \tau\omicron\upsilon\theta \mu\eta \gamma\iota\upsilon\epsilon\sigma\theta\alpha\iota \mu\eta\eta\sigma\tau\epsilon\iota\omega\upsilon \acute{\epsilon}\nu\delta\omicron\theta\epsilon\upsilon\eta \tau\omega\upsilon\eta \epsilon\pi\acute{\iota}\alpha \acute{\epsilon}\tau\omega\upsilon\eta \acute{\epsilon}\iota\tau\epsilon \iota\acute{\epsilon}\rho\omicron\lambda (quarta pars lineae deest) \eta \nu\varsigma. \pi\epsilon\tau\omicron\iota \tau\omicron\upsilon\theta \mu\eta \gamma\iota\upsilon\epsilon\sigma\theta\alpha\iota \mu\eta\eta\sigma\tau\epsilon\iota\omega\upsilon \acute{\epsilon}\nu\delta\omicron\theta\epsilon\upsilon\eta \tau\omega\upsilon\eta \epsilon\pi\acute{\iota}\alpha \acute{\epsilon}\tau\omega\upsilon\eta \acute{\epsilon}\iota\tau\epsilon \iota\acute{\epsilon} \dots (tertia pars lineae deest). Fol. 501. B. vacuum est. Habes igitur in hoc Codice locum illum, scilicet inde a verbis \chi\omega\eta \delta\acute{\epsilon} \epsilon\iota\delta\acute{\epsilon}\nu\alpha\iota usque ad numerum \rho\mu\theta. quem de numero et editione Iustiniani Novellarum in calce \tau\eta\varsigma \acute{\epsilon}\xi\eta\kappa\omicron\tau\alpha\beta\acute{\iota}\beta\lambda\omicron\upsilon se legisse testatur ALEMANNUS in notis ad cap. 14. historiae arcanae Procopii. Recte tamen Cel. BIENERUS in *historia Novellarum Iustiniani* p. 135. sq. qui hunc locum typis recudendum ibi curavit, monet, numeros apud Alemannum esse corruptos. Nam inter Novellas in Basilicis non receptas enumerantur ibi Novella 1. et Nov. 41. ($\acute{\alpha}'$. et $\mu\acute{\alpha}'$). Codex autem noster num. $\acute{\alpha}'$. omisit, et pro num. $\mu\acute{\alpha}'$. quem dedit Alemannus, recte suppeditat num. $\rho\mu\theta'$. Illa autem $\acute{\epsilon}\xi\eta\kappa\omicron\tau\alpha\beta\acute{\iota}\beta\lambda\omicron\varsigma$, cuius in calce Alemannus se haec legisse auctor est, sunt Tipuciti Paratitla, atque ita coniectura BIENERI l. l. not. 38. qui de Codice Tipuciti cogitavit, egregie confirmatur. Inscriptio-nem Codicis Vaticani 853., de quo hactenus locuti sumus, iam communicavit frater *Anecd. T. I.* p. 220. quam repetere non lubet. In schedula margini fol. 8. B. Codicis adglutinata manu scriptoris seculo decimo sexto posterioris scriptum est $\tau\iota\pi\acute{\epsilon}\kappa\upsilon\tau\omicron\varsigma$. Paulo infra in eadem schedula alia manu scriptoris eiusdem aetatis scripta haec sunt: $\tau\acute{\alpha} \pi\alpha\tau\acute{\epsilon}\rho\iota\tau\iota\lambda\alpha \tau\omega\upsilon\eta \xi \beta\iota\beta\lambda\iota\omega\upsilon \beta\alpha\sigma\iota\lambda\iota\kappa\omega\upsilon\eta \tau\omicron\upsilon\theta \textit{A}\epsilon\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma \kappa\alpha\iota \textit{K}\omega\upsilon\varsigma\alpha\upsilon\tau\iota\omicron\upsilon\eta \eta\tau\epsilon\iota \tau\omicron\upsilon\theta \acute{\epsilon}\xi\eta\kappa\omicron\tau\alpha\beta\acute{\iota}\beta\lambda\omicron\upsilon$. Eius tituli, quem exhibet ASSEMANUS in *Bibliotheca Iur.*$

*Orient. lib. 2. cap. 23. T. II. p. 502. in hunc modum: Τῖπούκειτος ἢ παράτιλα τῶν ἐξήκοντα βιβλίων τῶν βασιλικῶν: nullum in Cod. Vaticano 853. vestigium apparet, quam ob rem merito eum reprehendit frater Anecd. T. I. p. 220. not. 3. Codicis Vaticani 1928. inscriptionem iam exhibuit frater Anecd. T. I. p. 220. Nomen autem Tipuciti esse fictitium, neque extitisse Iureconsultum huius nominis primus vidit LEO ALLATIUS, cuius notam in fol. 1. Cod. Vat. 1928. hac de re scriptam publici iuris fecit frater I. I. quam hic repetere non abs re videbitur, cum omnia contineat, quae de nomine Tipuciti et de indole operis dici possunt. Haec LEO ALLATIUS: *Liber sic Τῖπούκειτος dictus continet legum per Leonem imperatorem reformatarum et libris sexaginta comprehensarum, unde ἐξηκοντάβιβλος illi nomen fuit, παρατίλους et remissiones ad alia similia loca, accuratissime ab auctore confectus. Dicitur Τῖπούκειτος ex verbis τί et ποῦ et κῆται, quasi diceret, quid, et ubi iacet vel reperitur. Singulas enim legis materias, in quo libro, titulo, capite haberi possunt, diligentissime indicat. Nomen aemulatur ab Athenaei Ulpiano Tyrio, qui ob assiduas quaestiones, quas ubique proponebat de rerum voculis, et quod inter epulas nihil sibi gustare soleret, priusquam interrogasset, eius appellatio κῆται ἢ οὐ κῆται (an videlicet alicubi inter scriptores extaret vel non), Κεϊτουκῆτον cognomen adeptus est. Exscriptus est ex cod. Vaticanae Bibliothecae num. 853. carie exeso, et plurimis in locis litteris ob vetustatem fugientibus per Leonem Allatium etc.* Ceterum de nomine Tipuciti fictitio et a Iureconsultis Graecis ex totius libri argumento desumpto tam bene disputavit frater Anecd. T. I. p. 220. et errores eorum, qui ante eum Tipucitum esse nomen Iureconsulti arbitrati sunt, inter quos me ipsum referam necesse est propter ea, quae scripsi in libello *de Basilicorum origine* p. 139. ita detexit, ut quid his addam, nesciam. Itaque ad aetatem auctoris Paratitlorum investigandam accedam. Iam frater Anecd. I. I. p. 221. not. 1. ASSEMANUM reprehendit, qui in *Biblioth. Iur. Oriental. lib. II, cap. 20. T. II. p. 547.* seculo decimo eum vixisse putat. Ipse frater ex Novellis Imperatorum hic illic laudatis colligit, eum seculo p. Chr. natum undecimo vel elapso vel certe ad finem vergente vixisse. Ego vero auctorem Paratitlorum seculo duodecimo medio vixisse arbitror. Ultimus quidem Imperatorum, cuius Novellas auctor Paratitlorum laudavit, est Alexius Comnenus, qui inde ab anno 1081. usque ad annum 1118. imperium obtinuit. Sed mentionem etiam fecit Ioannis Comneni, cognomine Pulchri, vulgo Calo-Ioannis, qui patri Alexio Comneno in imperio successit, idque ad annum usque 1143. obtinuit. Loci, qui huc faciunt, hi sunt. Tit. 7. lib. X. haec leguntur: ὁ δὲ Ἀλέξιος βασιλεὺς ὁ Κομνηνὸς νεαρὸν ἐξέθετο διαλαμβάνουσαν, μέχρι τῆς δεκάτης μερίδος περιγραφόμενον τὸν νέον (lege περιγραφόμενον τοῦ νέου) τὸ μὲν συνάλλαγμα συνίστασθαι καὶ ἰσχύειν· τὸν δὲ νέον ἔχειν κατὰ τοῦ κοινώτερος (adde ἀγωγῆν)· εἰ δὲ ἐπὲρ τὴν δεκάτην ἐστὶν ἢ περιγραφῆ, καθ' οὗ βούλεται κινεῖν, μὴ ὑπιστάμενον πρόκριμα ἐκ τῆς ἐπιλογῆς. Tit. 10. lib. X.: ἐποίησε δὲ Ἀλέξιος βασιλεὺς ὁ Κομνηνὸς νεαρὸν διεξιούσαν, μηκέτι ὄρκον γίνεσθαι περὶ (lege παρὰ) τῶν ἀφελίκων ἐπὶ ἐκποιήσει τῶν ἀκινήτων καὶ τοῖς ἐπ' αὐτοῖς συναλλάγμασιν ἐπὶ περιαιρέσει δῆθεν τῆς ἀποκαταστάσεως· τοὺς δὲ λοιποὺς ὄρκους τοὺς . . (supple ἐπὶ) τοῖς κινήτοις περὶ (lege παρὰ) τὸν (lege τῶν) ἀφελίκων διδομένους κατὰ τὴν τῶν νόμων ἰσχὺν ἐροῦσθαι· καταπέμψθαι (lege καταπέμψθαι) δέ, κατὰ τὸν Δεκέμβριον μῆνα τῆς δεκάτης Ἰνδικτιῶνος τοῦ 597. ἔτους. Novella, cuius hoc loco mentio fit, promulgata est mense Decembri indictionis decimae anno mundi creati 6590., sive post Christum natum 1082., si a numero 6590 demseris 5508 annos, quos Graeci inde a mundo creato usque ad Christum natum numerant. In fine tit. 1. lib. XLIV. epitomae L. 32. C. *de fideicommissis* VI. 42. subiiciuntur haec: καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀλέξιος ὁ Κομνηνὸς νεαρὸν ἐξέθετο φάσκουσαν, εἰ ἐπὶ ὑγράφῃ συναλλάγματι ἀγρ^α (sic: num ἄγραφοι;) παρ^αχρ^ω (lege παρ^αχρ^ω i. e. παρ^αχρ^ωσῶσι) μάρτυρες καὶ οὐ χωρήσει πρὸς διαβολὴν ἢ ἀντιπερίστασιν (sed lege ἐντιπερίστασιν) ὁ ἀντικρινόμενος, ἀλλ' ἐληται (lege ἀλλ' ἐληται) τὸν τοῦ παραγαρόντος ὄρκον, ἵνα ἔχη ἄδειαν καὶ ἐπιλογῆν· εἰ δὲ γε πρὸς διαβολὴν ἢ ἀντιπερίστασιν χωρήσει, ἵνα μὴ ἔχη ἐπιλογῆν, ἀλλ' ἵνα ἐπόμενοι οἱ μάρτυρες καὶ μόνου. Ἰστέον δέ, ἐὰν γράψῃ τις, ὅτι καταλιμπάνω τὸν οἶκόν μου τοῖς συγγενέσι μου τοῖς ἐδουχιζομένοις*

οὐκ ἀκούεται· παράνομος γὰρ ἐστὶν αἴρεσις (adde ἢ ante αἴρεσις)· ὁ γὰρ νόμος τὴν εὐνοχότητα κολάει, τιμωρῶν καὶ τοὺς τοῦτο ποιοῦντας. ἐκρῖ (i. e. ἐκρινε) δὲ τοῦτο καὶ κ^s α^u (hoc significat, quantum ex singulis literarum ductibus colligi potest, καλοιοῶννης) ὁ βασιλεύς. In fine tit. 4. lib. LIX. post Novellam Iustiniani 59. cuius argumentum his verbis traditur: καὶ περὶ τῆς ὀφειλοῦσης γενέσθαι δαπάνης εἰς τὰς τῶν τελευτῶντων κηδείας· φησὶ γὰρ, ἐκ τῆς τούτων προσόδου ψάλλεσθαι καὶ θάπτεσθαι τοὺς νεκρούς. καὶ περὶ τοῦ μὴ ἀξάνεσθαι τὰ στεγνόμια (lege στεγονόμια) τῶν ἐργαστηρίων καὶ τῆς ἐπὶ τούτου ποιῆς. τὸ αὐτὸ ἔφη καὶ Ἀλέξιος βασιλεὺς ὁ Κομνηνὸς ἐν τῷ τυπικῷ αὐτοῦ. Sufficere hos locos arbitror ad meam de aetate auctoris Paratitlorum sententiam confirmandam. Indicem titulorum totius Basilicorum operis parte Paratitlorum singulis titulis adiecta ex Codice Vaticano 853. primus edidit ASSEMANUS in *Bibl. Iur. Orient.* lib. II. cap. 23. T. II. p. 504 — 547. Sed ASSEMANUS siglas plerumque non intellexit, ideoque factum est, ut innumeris mendis laborent, quae ab ipso edita sunt. Nostra memoria ANGELUS MAIUS in libro, qui inscribitur: *Veterum Scriptorum nova collectio e Vaticanis codicibus edita* T. VII. P. III. p. 1 — 33. Romae 1833. denuo indicem titulorum ex eodem Codice edidit, et supplementa Basilicorum ex eodem adiecit ad supplendas lacunas, quae in Basilicorum editione Fabrotiana in lib. II. tit. 2. lib. VI. tit. 23. lib. XVI. tit. 1. lib. XVII. tit. 1. et lib. XIX. tit. 1. reperiuntur. In fine T. VII. addidit, reliquarum partium editionem in aliud tempus differri. In praefatione p. VII. MAIUS, *Attamen ego*, inquit, *vix coepta huius pretiosissimi Codicis editione ad alia munera graviora vocatus sum. Sed enim gaudeo, quod doctus alius et in edendis Basilicis occupatus vir intermissam a me editionem sapienter exornabit, tantoque munere Romanam iurisprudentiam augebit.* Degebat enim tunc temporis frater carissimus Romae, ut Tipuciti Paratitla describeret, per quem MAIUS de meo Basilicorum denuo edendorum consilio certior factus editionem Paratitlorum coeptam omisit, et fratri Codicem Vat. 853. describendum benigne concessit. Quod ab eo factum esse valde mihi gratulor. Fratris enim in Codicibus manuscriptis legendis valde exercitati diligentia apographum sincerum maximae partis Codicis Vaticani 853. nactus sum. In quo frater sic versatus est, ut scripturam Codicis religiose servaret, et siglas, quas non intellexisset, accurate depingeret. In libris tamen Basilicorum iam editis in eo acquievit, ut Codicem cum ASSEMANI editione conferret, et interdum plura, quam dedit ASSEMANUS, nec tamen omnia, quae Codice continebantur, describeret. Ita locos similes, qui in fine singulorum titulorum laudantur, plerumque omisit. Quantum autem ad libros Basilicorum, qui aetatem non tulerunt, attinet, frater Paratitla Tipuciti integra descripsit. Libri tamen XVIII., cuius maxima pars in editione Fabrotiana desideratur, apographum accepi opera et studio Cl. HEYSH, qui precibus fratris ex Italia iam reducis et Monachiae degentis motus initio anni 1834. hanc Paratitlorum partem, quam frater describere praetermiserat, descripsit.

In reliquis libris inde a XX. usque ad XXIII. in eo acquievi, ut textum a FABROTO e Codice Paris. 1348. qui libros XX—XXIX. integros, et librum XXX. mutilum continet, exhibitum retinerem, et quod eius fieri potuit, tam ex reliquis iuris Graeci fontibus, in quibus loci Basilicorum laudantur, quam ex ingenio emendarem. Frater enim, qui a mense Augusto anni 1830. usque ad mensem Martium anni 1831. Codicibus Coislinianis num. 151. et 152. signatis describendis Lutetiae Parisiorum operam dedit, temporis angustiis impeditus est, quo minus in iis Codicibus, quibus Fabrotus usus est, conferendis tantam operam, quantam ipse vellet, collocaret. Qua re praeter accuratam horum Codicum notitiam, quam de forma, scriptura, aetate et indole eorum in univ-
ersum dedit, nihil mecum communicavit. Nihilosecius ei tam felici esse contigit, ut in Cod. Paris. 1348. folium 117. reperiret a FABROTO per incuriam non descriptum, quo pars quaedam cap. 9. §. 8. tit. 1. lib. XII. et scholia exhibentur. Folium 116. B. desinit in his textus verbis: ἐὰν ἐμῶ (lege ἐμῶ) δὲ ὀνόματί σου παράσχω ἄπόντος σου καὶ ἀγνοοῦντος. In fol. 117. A. haec textus verba leguntur: ἢ κατὰ γνώμην σου, σοὶ προσπορίζεται ὁ τῆς ἀπαιτήσεως λόγος· εἰ γὰρ κατὰ παράκλησίν μου δῶς τινὶ (sic)

ᾧ (νομίσματα) ὀνόματί μου, αὐτὸς ἐμοὶ ἐνέχεται, καὶ γὰρ σοί, εἴγε ἤθελον αὐτῷ δανείσαι. Pro quibus textus verbis post vocem ἀγροῦντος FABROTUS folio 117. praetermisso ex suo ingenio addidit: συνίσταται δάνειον. Quae hoc folio continentur, reperies libro XXIII. tit. 1. loco conveniente inserta. In lectionibus a FABROTO exhibitis retinendis non fui anxius. Quamvis enim persuasum mihi sit, non omnia editionis Fabrotianae menda incuriae FABROTI esse tribuenda, sed tam ex ipso Codice orta, quod tunc inprimis accipiendum est, cum Fabrotus ipse in margine textum correxit, quam typhothetarum negligentiae esse imputanda, tamen tot tantisque vitiis scatet textus a FABROTO exhibitus, scholiorum potissimum, ut qui ea emendare vel ex ingenio praetermiserit, officio editoris plane non satisfacisse videatur. Quae cum ita sint, non dubitavi ea inprimis corrigere, quae typhothetarum negligentia in textum irrepsisse arbitrabar, eiusque rei rationem in notis plerumque reddidi.

Versionem latinam eorum, quae primum a me edita sunt, ipse confeci: eorum, quae iam antea edita erant, versionem a Fabroto confectam retinui quidem, sed emendare studui.

Indicis titularum huic volumini praemissi rationem in notis ei subiectis reddidi.

Quae huic volumini adiectae sunt appendices, haec continent. Prima appendice exhibentur Paratitla librorum I—XII. Basilicorum e Cod. Vatic. 853. et ea pars Paratitlorum lib. XVI. tit. 1. et lib. XVII. tit. 1. quae inservit lacunis editionis Fabrotianae, quae in his titulis deprehenduntur, supplementis. Causas, ex quibus haec tam ex apographo fratris, quam ex editione ANGELI MAII exhibui, in notis indicavi. Secunda appendix continet ea, quae addenda et corrigenda in primis duodecim Basilicorum libris videbantur. Praeter ea enim, quae Cel. WITTIVS in censura Tomi primi huius Basilicorum editionis (*Jahrbücher für wissenschaftl. Kritik.* 1834. No. 89—91.) cortexerat et a me praetermissa notaverat, ratio eorum, quae Cl. DEURERUS (*Heidelberger Jahrbücher der Literatur.* 1835. p. 1051—1078.) monuerat, erat habenda. Itaque locos ex prioribus duodecim Basilicorum libris, qui in reliquis iuris Graeci fontibus praeter Synopsin, diligenter a me collatam, reperiuntur, collegi et cum textu Basilicorum tam e Codicibus Coislinianis, quam e Cod. Paris. 1352. exhibitio contuli, et varias lectiones adnotavi. Fieri non potuit, quin, cum haec facerem, vestigia Cl. DEURERI premerem, qui iam ante me prioribus Basilicorum libris duodecim cum reliquis iuris Graeci fontibus conferendis operam dederat. Usus igitur sum iis, quae ille l. l. p. 1061—1076. iam collegerat. Nominis quidem Cl. DEURERI in singulis locis, quos in appendice exhibui, mentionem feci nullam. Non tamen arbitror, ipsum virum doctissimum hoc mihi exprobraturum: imo spero, contentum eum futurum, si me eorum, quae ipse praestitit, rationem religiose habuisse viderit. Non potui tamen in huius viri doctissimi studiis acquiescere. Praeterquam enim, quod scholiis, quae ad Basilica tam in editione FABROTI exhibita sunt, quam in nostra e Cod. Coisl. 152. exhibentur, uti praetermisit, in quibus innumeri Basilicorum loci verbis Basilicorum retentis laudantur, inde a libro decimo Basilicorum haud scio an taedio laboris captus Promptuarii Harmenopuli eam, quam in prioribus novem libris, rationem non habuit. Praeterea in eadem appendice emendationes textus Basilicorum, a IENSIO in uberiore eius notitia Basilicorum Stricturis ad Iuris Romani Pandectas et Codicem praemissa, tentatas et in notis a me praetermissas, adnotavi: quas iam Cl. WITTE in censura huius editionis minime censuerat negligendas.

Codicis hactenus ignoti Basilicorum notitiam dedit Cl. ZACHARIAEUS in *Historiae iuris Graeco-Romani delineatione*, quae prodiit Heidelbergae 1839. p. 46. sq. Est is, ut verbis auctoris utar, Codex rescriptus bibliothecae patriarchatus Hierosolymitani (τοῦ ἁγίου τάφου), quae Constantinopoli est. Eius folia, in quibus hodie Harmenopuli opera perscripta sunt, ex Codice avulsa sunt, qui Codici Coisl. 152. et Paris. 1350. simillimus libros Basilicorum XV. sqq. olim continebat. Quantum praeterea ex literis ZACHARIAEI ad fratrem datis cognovi, scholia etiam eo Codice continentur. Quo cum in iis Basilicorum libris, qui eo continentur, uti non potuerim, typis quippe iam prius

exscriptis, quam eius Codicis notitiam acciperem, nihil magis in votis habeo, quam ut ipse ZACHARIAEUS illum Codicem publici iuris quam primum faciat. Dominus Codicis pro venia Codicem describendi concedenda pecuniam, quantam, me fugit, poposcerat: quam librarius honestissimus, IOHANNES AMBROSIVS BARTHIVS, pro ea, qua uti solet, liberalitate, se daturum esse mihi sponderat. Frater autem se non dubitare dixit, quin ipse ZACHARIAEUS Codicem propediem sit editurus. Quo cognito e re esse duxi, rem coeptam omittere, et expectare ipsius ZACHARIAEI editionem, quam ut quam primum fieri potuerit, suscipiat et perficiat, etiam atque etiam rogo.

Quot et quanta sint fratris carissimi de hac Basilicorum editione merita, nomine eius iam titulo primi voluminis inscripto grata mente agnoscere studui. Quo effectum esse, ut utrique nostrum haec editio tribueretur, valde laetor, quamvis fratris, qui ex quo in patriam rediit, pluribus libris editis demonstravit, se inter horum studiorum cultores non ultimum obtinere locum, laudibus exinde vix crediderim quidquam accessisse.

Restat, ut grata mente profitear, quantam diligentiam in plagulis typis exscriptis corrigendis collocaverit *Bomnitzius*, vir Graecae linguae peritissimus. Neque in eo substitit vir doctissimus, ut vitii typhotetae plagulas liberaret, sed saepissime etiam coniecturas suas de locis corruptis emendandis mecum communicavit, ex quibus insignem fructum me percepisse eae potissimum notae textui subiectae demonstrant, quae geminas literas prae se ferunt.

Dabam Jenae mense Septembri anni MDCCCXL.
